



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis  
Societatis Jesu methodum tomus ...**

**Amico, Francesco**

**Duaci, 1640**

VII. An Spiritus S. sit formaliter donum, eique soli proprium?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

pium communicatiuum, non per accidens & concomitanter, sed per se & formaliter se habent ad esse termini. Ad probationem verò antecedentis, eodem modo distinguenda est minor; quod totus amor notionalis reperiatur in Patre, & totus in Filio subiectiuè, non autem obiectiuè.

139. Ad secundum negatur Maior: cuius discriminis ratio est, quia principium creatiūm saluatūr integrē & perfectē quoad omnia in sola natura diuina, etiam ut præcīla à subsistentiis relatiuis. Duo quippe sunt, quæ principium cratiūm requiri, perfecta existentia, & integra virtus productiua: hæc duo habet Deus ratione solius naturæ præcīla à qualibet subsistentia relatiua: nam & illa seipsa perfectissimè existit, & omnia potest; quia à personis non accipit vim producendi, nec rationem exemplaris, à quo ad producendum Deus determinatur; cùm ipsa essentia sit perfectissimum exemplar omniū producendorū. Dices. Saltem determinatur à personis increatis ad producendas personas creatas. Sed negatur assumptum: Quia in sola essentia eminenter continentur omnia creabilia: atque adeo in ratione exemplaris non determinatur à personis, sed à sola essentia.

140. Ad tertium. Concedo vim spiratiūm non accipere à paternitate & filiatione vim productiūm, accipere tamen tum vim communicatiūm, tum perfectam existentiam. Ad probationem verò minoris Resp. vim spiratiūm non accipere quamcumque rationem subsistendi à Patre & Filio, sed talem sine qua omnino repugnat, illam exire posse in actum spirandi.

141. Ad Quartum. Nego consequentiam, nam intellectus non supponit aliam potentiam, vt possit in actum suum exire: contrà vero, vt voluntas possit in actum suum exire, supponit Verbum, à quo virtus spiratiūm compleetur in ratione principij communicatiui, vt ex dictis constat.

142. Ex dictis facilè erit vnicuique iudicium ferre de singulis modis, quibus alii hanc sententiam probant. Plerique enim re ipsa nobiscum conuenient; et si in modo explicandi discrepant. Illud autem, quod ultimo loco additur, posse Spiritum sanctum vi alterius personalitatis ab una tantum persona diuina procedere; atque adeo licet vi huius numero personalitatis per se petat procedere à duobus, simpliciter tamen non repugnat, illum intelligere, ab uno tantum procedere; cùm procedat ex hypothesi omnino impossibili, & nullo pacto conferat ad intelligendam formalitatem propriæ personalitatis, qua de facto tercia Trinitatis persona constituitur, non censeo dignum Theologico labore, qui tantum impendi debet in explicandis mystériis fidei, & catenùs ad huiusmodi hypotheses diuertere, quatenus per illas altius mysteria ipsa fidei penetrantur.

## SECTIO VII.

*An Spiritus sanctus sū formaliter donum, eiq[ue] soli proprium?*

143. SPIRITVM sanctum esse donum, constat ex varijs scripturae locis, Acto.

Aet. 2. & 1.

2. Accipietis donum Spiritus sancti: & Acto. 8. Pecunia tua, inquit Petrus Simoni Mago, tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Quod autem Donum Dei hic intelligatur pro Spiritu sancto, constat ex textu ipso, Cūm vidisset, inquit Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obiulit eis pecuniam, dicens, date & miki hanc pateslarem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Et ecclesia in hymno Pentecostes Spiritum sanctum appellat donum Dei altissimi. Idem pafsim docent Patres, inter quos vberrimè Aug. in suis liberis de Trinitate.

In hymno  
Pentecostis,  
Spiritus S.  
appellatur  
Donum.  
Augst.

144. Hinc grauius insurgit difficultas, an hoc nomen conueniat Spiritui sancto propriè, an tantum appropriate. Ratio difficultatis est multiplex: Prima, quia donum, ut Philosophus definit, 4. Topic. 4. est irredibilis donatio: hoc est, ut S. Thomas explicat 1. p. q. 38. ar. 2. liberalis & gratuita donatio, ablique intentione retributionis facta. Atqui nulla persona in diuinis procedit liberè & gratuito, sed necessariò & naturaliter. Ergo nulla persona in diuinis est propriè donum.

Aristoteles.  
S. Thomas.

145. SECUNDA, quia, ut constat ex eodem Philosopho, inter donum, donatorem, & cui datur intercedit realis distinctio: nam donum alicuius donum dicitur: Sed Spiritus sanctus, et si distinguatur à Patre & Filio, à quibus procedit, non tamē distinguitur à seipso, quatenus accipit donum.

Aristoteles.

146. Confirmatur, quia Spiritus sanctus vel est donum respectu sui ipsius, vel respectu alterius personæ diuinæ: non respectu lui ipsius, quia nullum donum dicitur respectu lui; non respectu alterius personæ diuinæ, quia vel hec esset Filius, quatenus Spiritus sanctus datur à Patre in donum Filio; vel Pater, quatenus datur à Filio in donum Patri per reciprocum amorem: atqui neutrum dici potest: ergo. Minor probatur, tum quia inter dantem, & cui datur intercedere debet realis distinctio. Inter Patrem autem, & Filium in ratione spirantis, seu dantis Spiritum S. nulla intercedit realis distinctio. Tum quia si Spiritus S. diceretur dari Filio à Patre, & è conuerso propter solam essentia identitatem, & circummissionem personarum; pari modo dici posset, Patrem & Filium dari Spiritui sancto, ob eandem essentiæ identitatem, & personarum circummissionem.

147. TERTIA ratio dubitandi est, quia vel Spiritus sanctus dicitur donū respectu principij, à quo per originem, tanquam per donationem

nationem accipit esse; vel respectu creaturam, quibus donari potest. At non solum Spiritus sanctus, verum etiam Filius per originem accipit esse à Patre; & de facto datus est nobis, non solum per gratiam & merita, sed etiam per unionem hypostaticam. Ergo non solum Spiritus sanctus, sed etiam Filius est donum.

148. QVARTA. Unica est proprietas constitutiva Spiritus S. sed hæc est passiuæ spiratio: ergo non est donatio, quatenus diuersa est à passiuæ spiratione. Confirmatur, quia vel donatio sumitur passiuè pro ipsa passiuæ processione Spiritus sancti, vel actiuè pro actuali, vel aptitudinali donatione, qua Spiritus S. aptus est alteri donari. Primo modo recurrunt cum ipsa passiuæ spiratione: secundo modo, quia repugnat eandem personam constitui oppositis relationibus: sed donatio actiuæ & passiuæ sunt oppositæ relations, non minus quam spiratio actiuæ & passiuæ: igitur repugnat, per eas constitui personam Spiritus sancti.

149. QVINTA. Omne donum dicitur per ordinem ad possessorum: est enim donum aliquius possessoris donum: atqui possesso correlatiuè respicit subiectionem: hæc autem imperfectionem importat: non igitur in Deo esse potest.

150. PRIMA sententia est Durandi in 1. distinc. 18. quæst. 1. negantis, donum conuenire Spiritui sancto propriè, sed tantum appropriatè. Fundamentum ipsius est, quoniam nulla ratio doni in diuinis reperi potest, nisi per ordinem ad creaturas, quibus tantum liberaliter Deus communicari potest: cùm ad intra nulla sit communicatio, nisi naturalis assumptiæ necessaria; ratio autem doni quidditatiuè postulat communicationem liberalerem donantis. Atqui per ordinem ad creaturas non magis est communicabilis Spiritus sanctus, quam reliqua personæ, imò quam ipsam diuinæ essentia. Ergo ratio doni non magis conuenit Spiritui sancto, quam reliquis personis, atque ipsam diuinæ essentiaz. Ratio vero appropriationis est, quia omnis liberalis communicatio, quæ ad donum præexistit, procedit ex radice amoris, qui est actus voluntatis. Quare illi tantum personæ appropriari potest, quæ procedit per actum voluntatis: hæc autem est sola persona Spiritus sancti: ergo.

151. SECUNDA sententia est reliquorum Scholasticorum cum Magistro in 1. dist. 18. nec non S. Thomæ 1. p. qu. 38. Syluij & reliquorum Theologorum affirmantium, foli Spiritui sancto vi suæ processionis formalis conuenire veram ac propriam rationem doni. Quin Durandi sententiam doctissimi recentiores cum Carthusiano in 1. dist. 18. qu. 2. vt erroneam, aut certè vt temerariam damnant. Et merito, cùm sit contra omnes Scholasticos & Patres, præfertum Augustinum, qui omnium clarissime hanc veritatem expressit s. de Trinit. c. 11. Ille, inquit, Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate intelligitur,

in eo quod propriè dicitur Spiritus sanctus, relata datur, cùm ad Patrem & Filium referatur, quia Spiritus sanctus & Patris & Filij Spiritus sanctus est. Sed ipsa relatio non appetet in hoc nomine, appetet autem, cùm dicitur donum Dei. Donum enim est Patris & Filij. Vbi sic tandem concludit: Donum ergo donatoris, & donator doni, cùm dicimus, relatae utrumque ad insicem dicimus. Et lib. 7. c. 4. Spiritus sanctus propria significacione, qua etiam donum Dei dicitur, nec Pater nec Filius est. Vbi nota, Spiritum S. ab August. appellari donum Dei, propria, non appropriata significacione. Etc. 6. Sicut Verbū, inquit, quod non dicitur nisi Filius, aut donum, quod non dicitur nisi Spiritus Sanctus. Et ut expressius significaret doni proprietatem solius Spiritus sancti characteristica notam esse lib. 4. c. 20. docet, eam Spiritui sancto vi suæ processionis competere: Sic ut, inquit, Spiritus S. donum Dei esse, est a Patre procedere, ita mitti est cognosci quod ab alio procedat. Quidquid autem personæ diuinæ competit vi propriæ processionis, competit illi ut characteristica proprietas: nam sicut una persona diuina distinguitur ab alia vi propriæ processionis: ita quidquid vi propriæ processionis illi competit, est propria nota & characteristica proprietas illius.

152. Secundò probatur hæc veritas à priori, hoc pacto. Solus Spiritus sanctus vi suæ originis habet intrinsecam & quidditatiuā rationem doni: ergo soli Spiritui sancto competit vera & propria ratio doni. Consequentia patet ex dictis, quia quidquid habet una persona vi suæ originis, habet ut proprium constitutiuū sui, & conditinctiuū ad omni alia persona: quia sicut persona diuina distinguuntur inter se in fieri per origines, ita & in facto esse per proprietates cœquentes origines. Antecedens autem probo: nam quidditatiua ratio doni cōsistit in liberali & gratuita donatione. Solus autem Spiritus S. vi suæ originis procedit ut liberalis & gratuita donatio; non quidem respectu lui, sed respectu creaturarum, quibus liberè donatur. Igitur solus Spiritus S. vi suæ originis habet, quidditatiuam rationem doni. Maior est ipsa definitio doni ab Arist. tradita, & ab omnibus Theologis recepta. Minor probatur, quia solus Spiritus S. vi suæ originis procedit ut amor, non solum ut necessariò communicatus ad intra, sed etiam ut liberè & gratuitò communicabilis ad extra. Ergo solus Spiritus S. vi suæ originis procedit ut donum. Consequentia patet, quoniam Amor est primum donum, quod amans simul cōm re donat amato, & quo mediante cætera donat. Igitur si Spiritus S. vi suæ originis procedit ut amor, non solum ut necessariò communicatus ad intra, verū etiam ut liberè cōmunicabilis ad extra, procedit ut donum, siue potius ut ipsam formalis ratio donandi. Antecedens probatur, quia Deus non alio amore communicat seipsum Spiritui sancto necessariò ad intra, & creaturis liberè ad extra; sed eodē prorsus indubitate amore & communicat se Spiritui S. necessariò ad intra, & creaturis liberè ad extra; cùm in Deo actus liber non distinguatur

Aristoteles.

Durandus.

Magister.  
S. Thomas.  
Sylvius,  
Reiqui  
Scholastici.Durandus.  
Carthus.  
Censura o-  
p nionis  
Durandi.  
August.

August.

à necessario, nisi penes connotatum extrinsecum. Igitur si Spiritus sanctus vi suæ processionis procedit ut amor increatus, non solum procedit ut amor necessariò communicatus ad intra, sed etiam ut liberè communicabilis ad extra. Consequentia probatur, quia procedit ut amor comprehensius & adequatus; ergo secundum omnem perfectionem quiditatiè inclusam in ipso amore diuino. Libera autem communicabilitas ad extra, est intrinseca & quidditativa perfectio amoris diuini: nam, licet actualis communicatio libera, non sit intrinseca & quidditativa perfectio amoris diuini, est tamen intrinseca & quidditativa perfectio ipsa aptitudinalis communicationis. Spiritus autem sanctus non est donum formaliter per actualem, sed per aptitudinalem communicationem ad extra, quam habuisset, etiamsi nulli creature se liberè communicasset. Ut enim rectè Augustinus 5. de Trinit. c. 15. Spiritus sanctus procedebat, ut esset donabile, iam donum erat & antequam esset, cui daretur. Alter enim, inquit, intelligitur, cum dicitur donum, alter cum dicitur donatum. Nam donum potest esse, antequam detur: donatum autem, nisi datum fuerit, nullo modo dici potest.

153. Confirmatur. Ita se habet Spiritus sanctus respectu suæ processionis, sicut Verbum respectu suæ generationis: sed Verbum, ex eo quod procedit vi intellectio diuinæ comprehensiuæ, non solum procedit, ut necessariò exprimens essentiam, personas, creaturasque possibiles, sed etiam ut liberè expressiuum futurarum: ergo Spiritus sanctus, ex eo quod procedit vi dilectionis diuinæ comprehensiuæ, non solum procedit ut necessariò terminatus ad essentiam, personas, creaturasque possibiles per modum simplicis complacentiæ, sed etiam ut liberè terminabilis, ad futuras per modum efficacis amoris. Vnde sicut aptitudo ad exprimendas quasunque creaturas futuras, est propria & characteristica nota Verbi, quam ab æterno habuisset, etiamsi nullæ in tempore future fuissent creature, ita aptitudo ad communicandum se creaturis futuris, est propria & characteristica nota Spiritus sancti, quam ab æterno habuisset, etiamsi nullæ futuræ fuissent creature, quibus actu se communicasset.

154. Ex dictis deducitur 1. Id, quod constituit Spiritum sanctum donum formaliter, non esse relationem aliquam realem, aut rationis ad creature, quibus liberè communicari potest; cum nullam Deus habeat relationem realem ad creature, nec sola rationis sufficiat, cum Spiritus sanctus independenter ab omni intellectu procedat ut donum; sed esse proprietatem realem, quia à Patre & Filio procedit, ut aptus donari; quæ tantum inadæquatè & per explicitum conceptum distinguuntur à spiratione passiva. Nam hæc explicite tantum dicit relationem spirati ad Patrem & Filium sub ratione Spiratoris; illa ad originem passivam, quam essentialiter inclu-

dit donum in diuinis propriè dictum, superaddit intrinsecam aptitudinem, qua liberè donari possit creaturis rationalibus: quæ aptitudo est à nobis explicari nequeat, absque ordine ad creature, in se tamen nullum intrinsecum ordinem ad creature dicit, sed solum eas connotatiè importat, ut terminos extrinsecos eo modo, quo omnipotens importat effectus producibilis. Porro Spiritus sanctus duplè respectum dicit ad creature, alterum ad possibiles sub ratione simplicis, necessaria tamen complacentiæ, ex quarum amore, tanquam ex propria origine procedit; alterum ad futuras, sub ratione efficacis, & liberi amoris, quibus in tempore donatur per gratuitam donorum communicationem. Priorem respectum importat necessariò & per se, posteriorem verò liberè & concomitantem. Sicut Verbum respectum ad creature possibiles importat necessariò & per se, ut pote ex quarum cognitione, tanquam ex propria origine procedit; ad futuras verò non nisi liberè & concomitantem: ut pote sine quarum cognitione procedere potuisse eodem modo perfectum, ac procedit nunc cum earum tantum concomitante notitia.

155. Deducitur secundò. Spiritum sanctum non solum procedere, ut donum Patris & Filii liberaliter communicabile creaturis, sed etiam ut donatorem donorum. Procedit autem ut donum donatoris, quatenus est primum donum, quod simul cum ipso dono creato à Patre & Filio, donabile est creaturis. Etenim quemadmodum creatura, dando aliquod donum, simul cum ipso donat suum amorem, tanquam primum donum, & rationem ipsam formalem donandi, quæ simul cum re ipsa donanda constituit donum formaliter, & sine qua res ipsa, quæ donatur, non esset donum formaliter; Ita Deus, donando aliquod donum creature, simul cum ipso dono creato donat amorem suum increaturn, tanquam primum donum, & rationem ipsam formalem donandi, sine qua illud, quod donatur, non esset donum formaliter. Dat autem Deus amorem suum increatum simul cum ipso dono creato, non subiectiè, & secundum se, sed ut liberè terminatum ad rem ipsam, quam liberaliter communicat creature. Nam hoc ipso, quod illi donat rem liberaliter, donat illi cum re ipsa amorem suum, ut liberè terminatum ad talem rem.

156. Procedit verò idem Spiritus, ut donator doni, quia, cum sit amor personaliter subsistens, non solum est ratio, qua formaliter donantur omnia dona, sed etiam est author ipse donorum: idque ex peculiari sua proprietate, quæ est amor, & donum personale. Sicut Verbum non modò est ars, & ratio omnium faciendorum, quatenus est increata sapientia, in qua reluent ideo omnium rerum: verum etiam est author, & opifex omnium operandorum, quatenus personalis sapientia est; quæ ut est ars increata, ei peculiariter conuenit concurrere ad omnia opera fabricanda. Verum

da. Verum prior respectus domini a donatore, quia immediate fundatur in ipsa processione passiva, est proprius & characteristicus Spiritus sancti. Posterior vero respectus donatoris, quia immediate fundatur in ipso amore essentiali, quo unita Trinitas cum donis ipsis creatis simul donat amorem suum inveniatum, non est illi proprius, sed appropriatus, cum sit illi communis cum reliquis personis. Sicut & respectus, quem habet Verbum, ut supremus artifex operum fabricandorum, non est illius proprius, sed appropriatus & communis cum reliquis Diuinis personis.

157. Deducitur 3. Quo pacto Spiritus sanctus sit primum donum; cum quia est primum simpliciter, ante quod nullum omnino praecedit: unde sicut Deus est primum ens, eiusque Verbum, primum Verbum; quia & Deus in ratione entis, & ipsius Verbum in ratione Verbi, est primum simpliciter, ante quod nullum omnino ens, aut Verbum praecedit, vel praecedere potest: ita Spiritus sanctus, quia in ratione doni, est primum simpliciter, quod Pater & Filius ad intra producunt, ante quod nullum omnino praecedit, nec praecedere potest, est omnium donorum iure primum. Tum quia est ratio formalis omnium donorum: nam etenim reliqua, quae a Deo donantur, habent rationem doni, quatenus ab hoc uno, quod est Spiritus sanctus, accipiunt formalem denominationem doni. Propter quod S. Bonaventura in 1. dist. 18. q. 1. Spiritum sanctum appellat exemplar omnium donorum: quia primum in unoquoque genere est exemplar reliquorum in eodem genere.

158. Deducitur 4. Cur Filio non competit propria ratio doni, etiamsi sit donabilis, & de facto datus nobis: quia nimur visu processionis non procedit, ut primum donum & ratio ipsa formalis donandi. Etenim id tantum procedit ut primum donum, & ratio ipsa formalis donandi, quod vi suae processionis procedit, ut prima & formalis ratio dandi cetera: hic autem est solus amor, vi cuius tantum procedit Spiritus sanctus. Quia cum solus amor sit formaliter liber, a quo cetera extrinsecè tantum denominantur libera, solus amor est prima, & formalis ratio liberalitatis in ceteris donis; donum enim in liberalitate fundatur: liberalitas autem in solo actu libero formaliter reperitur: nam ille liberaliter donat, qui liberè; eoque donat liberalius, quod liberius. Cum igitur Filius vi suae processionis non procedat ut Amor, sed ut Verbum, non poterit ei quidditatua ratio doni formaliter & intrinsecè, sed concomitanter & extrinsecè conuenire, per ipsam scilicet formalem rationem amoris, quae cum non sit propria & formalis origo Filii, sed tantum concomitanter ei communicetur cum ipsa intellectione, quae tantum est propria & formalis origo ipsius, non poterit ex vi processionis formalis quidditatua ratio doni formaliter & ab intrinseco conuenire, sed tan-

tum concomitanter & ab extrinseco, sicut conuenit ceteris donis, quae formalem rationem doni fortuntur a prima & formalis ratione doni, quod est liberalis amor.

159. Deducitur 5. Vnde habeat Spiritus sanctus propriam rationem doni, ex amore essentiali, an ex notionali? Aliqui putant, id habere ex amore essentiali. Fundamentum esse potest, quia inde habet propriam rationem doni, vnde habet, ut sit liberaliter donabilis creaturis: est autem liberaliter donabilis creaturis non ex amore notionali, sed ex essentiali: nam ex eo habet, ut sit liberaliter donabilis creaturis, ex quo habet, ut iisdem actu liberaliter donetur: atque ex amore essentiali, non ex notionali a & u liberaliter donatur creaturis: quia principium donandi ad extra est actus Dei liber: hic autem non est amor notionalis, qui necessarius est, & proprius unius personæ, sed essentialis, & communis trinitati.

160. Ego vero censeo, propriam rationem doni Spiritum sanctum complete habere ex viroque amore, essentiali, & notionali simul; ex illo inchoatiuè, ex isto completiuè; non minus quam Verbum propriam rationem imaginis habet ex intellectione essentiali, & notionali simul. Cuius ratio est, quia sicut imago requirit realem distinctionem ab exemplari, vnde exprimitur: ita donum ab auctore, a quo donatur. Est enim donum, ut Aristoteles definit, alicuius alicui donum: & ut Augustinus testatur, 5. de Trinitate cap. 14. donum est id, quod referatur ad eum, qui dedit, & ad eos, quibus datur: ergo donum duplum requirit distinctionem, & ab eo, a quo donatur, & ab eo, cui datur: atque essentialis amor non distinguitur a Patre & Filio, qui sunt donatores huius doni: igitur ab eo non potest Spiritus sanctus habere propriam rationem doni: habet igitur complete ab amore notionali passivo, qui realiter distinguitur a Patre & Filio, & in Spiritu ipso constituit quidditatua rationem doni.

Aristoteles.  
August.

161. Quare ad fundamentum oppositę sententię, distinguo maiorem: ab eo habet Spiritus sanctus propriam rationem doni, a quo habet, ut sit liberaliter donabilis creaturis effectiuè, nego: a quo habet, ut sit liberaliter donabilis formaliter, concedo. Porro Spiritus sanctus, licet sit liberaliter donabilis effectiuè ab amore essentiali; quoniam hic solus est principium donandi ad extra omnia dona creata, cum quibus per modum primi doni, & rationis formalis donandi donatur ipse amor: est tamen liberaliter donabilis formaliter per amorem notionalem, quia hic tantum realiter illum distinguit ab ipso donatore. Quod autem Spiritus sanctus habeat veram rationem doni, a quo formaliter, non autem a quo effectiuè habet, ut sit liberaliter donabilis, constat: quia donum non est tale formaliter per respectum extrinsecum, sed per proprietatem intrinsecam: igitur non potest per respectum ad efficiens, qui extrinsecus est, sed per proprietatem, & relationem intrinse-

cam, licet cum ordine ad extrinsecum donatorem.

162. DICES. Id constituit Spiritum sanctum donum formaliter, quod tanquam ratio donandi simul cum re ipsa creata: hic autem est amor liber, quia hic tantum dari potest per modum liberæ terminationis ad extra. Respondeo negando minorem. Ad cuius probationem dico, quod quemadmodum donum duo requirit essentialiter, & liberam donabilitatem, & realem distinctionem à donatore: ita ab utroque amore tam essentiali & libero, quam notionali & necessario, habet veram & propriam rationem domini.

163. Deducitur sexto. Qua ratione dici possit, Spiritum sanctum sua processione esse donum. Etenim si propositio accipiatur in sensu formaliter, falsum est, Spiritum sanctum sua processione esse donum: quia sumpta propositio formaliter importat explicitam rationem, qua subiectum est tale formaliter. Vnde non dicitur Verbum generatione est Verbum, aut filiatione est Deus; sed sapientia est Verbum; generatione genitus, filiatione Filius; expressione imago; Deitate Deus. Ita nec Spiritus sanctus dici poterit processione donum, sed donabilitate donum, spiratione Spiritus. Si vero propositio sumatur in sensu originatio, verum erit dicere, Spiritus sanctus processione est donum; sicut & Verbum generatione est Verbum. Quia tunc sensus est, Spiritus sanctus processione habet esse donum; sicut & Verbum generatione habet esse Verbum, imaginem, Deum, & omnia, quae habet. Et ratio est, quia origo non significatur, vt ratio formalis & intrinseca termino, sed vt via & tendentia ad illum.

164. Deducitur septimo. An dici posset Spiritus sanctus, Noster Spiritus, nostrum donum. Ratio dubitandie est, quia sicut de Filio non dicitur, quod sit noster Filius, nostrum Verbum, nostra imago: ita nec de Spiritu sancto, quod sit noster Spiritus, nostrum donum. Ex alia vero parte de Patre dicitur, quod sit noster Pater, noster Deus. Pro qua re notandum, pronomina nostrum & meum importare aliquam habitudinem causæ, vel effectus in eo, de quo talia pronomina dicuntur; vt iste est meus pater, iste est meus filius. Primum importat habitudinem principij secundum effectus: Cum autem quatuor sint causarum genera, quaduplicem habitudinem causæ, ac totidem effectus importare possunt, hæc pronomina in eo, de quo prædicantur, efficientis, ad quam reducitur exemplaris, finalis, materialis, & formalis, his positis,

165. Cerra & universalis regula est, quam tradunt S. Thomas in 1. dist. 18. qu. 1. art. 5. Bonaventura q. vlt. & reliqui Scholastici, ea nomina diuina admittere posse pronomina Meum & nostrum, quæ efficientis & finalis causæ habitudinem important; non autem quæ important habitudinem causæ materialis, aut formalis, vel termini ad suum prin-

cipium. Ratio regulæ est, quia vt pronomina verè de aliquo dici possit, de eodem verificari debet secundum illum respectum & habitudinem, quam ex propria notione importat; alioqui non verè, sed falso diceretur: ergo & Deus, & Pater & Creator noster dici potest, quia hæc nomina respectu nostri habitudinem important cause efficientis. Item de Filiō dici potest, quod sit noster Salvator, Redemptor, Magister, Legislator; non autem Filius, Verbum, Imago: quia priora important habitudinem principij; posteriora vero termini ad principium: Filius enim refertur ad Patrem; Verbum ad proferentem; Imago ad producentem seu experimentem. Eadem ratione de Spiritu sancto dici potest, quod sit noster Spiritus, Donum, Sanctificator, Rector, Custos; non autem Spiritus sanctus, amor, Spiratus, notionalis, &c. Quoniam illa important habitudinem principij; hæc termini ad principium. Etenim nomen *Spiritus sancti*, vt recte notauit sanctus Thomas loco praæcitato ad secundum, est impositum ad significandam relationem termini ad principium spiratum: Nomen vero *Spiritus* ex propria notione admittere potest habitudinem principij, iuxta illud

*s. Thomas.*  
*Ioani. 3.*

166. Ex his collige, nomina, quæ significant perfectiones diuinæ in abstracto, non posse admittere pronomina *Nostrum* & *Meum*: quia ex modo significandi important habitudinem causæ formalis. Quare non dicitur *Deitas, aeternitas, immensitas nostra*. Quod si quando ab ecclesiasticis Doctoribus huiusmodi locutiones usurpentur, vt de Christo Domino dicitur primæ Corinthiorum 1. *Factus est nobis Sapientia, Iustitia, Sanctificatio, Redemptio,* intelligenda sunt exemplariter & effectuè, non autem formaliter.

*t. Cor. 1.*

167. Ad primam rationem dubitandi patet ex dictis: non enim Spiritus sanctus dicitur donum formaliter per necessariam communicationem ad intra, sed per liberam communicabilitatem ad extra, quæ tamen fundatur in ipsa necessaria communicatione ad intra, quia nisi ad intra procederet, vt distincta persona ab ipso principio producente, non posset habere propriam rationem doni ad extra libera litter communicabilis.

168. Ad secundam patet etiam ex dictis: quia licet Spiritus sanctus non distinguatur à seipso, respectu cuius non est, cui datur, sed quod datur, donumque ipsum formaliter alijs communicabile; distinguuntur tamen à creaturis, quæ sunt terminus, cui hoc donum est liberaliter donabile. Ad confirm. Respondet Henricus in summa p. 2. artic. 61. quæst. 10. Ochamus & Gabriel in 1. dist. 18. Spiritum sanctum dici donum respectu Patris & Filii, quatenus à Patre per impensum amorem datur Filio, & viceversa à Filio per repensum amorem datur Patri, vt subsistat in eadem numero natura. Sed contra, quia vt argumentum probat, eodem modo dici posset, Filius dari in donum Spiritui sancto, nam etiam Filius producitur à Patre, vt subsistens in ea-

*Henricus.*  
*Ocham.*  
*Gabriel.*

dem na-

dem natura cum Spiritu sancto. Est igitur Spiritus sanctus donum solum respectu creaturarum, quibus liberaliter tantum est communicabile.

169. Ad tertiam rationem constat ex dictis, quare potius Spiritus sanctus, quam Filius habeat formalem rationem doni: quia nimis solus Spiritus S. procedit formaliter ut amor, quiete primum donum, & ratio ipsa formalis donandi, qua cetera, quae donantur, denominantur dona formaliter.

170. Ad quartam. Concedo proprietatem, qua constitutus Spiritus sanctus, esse unicum formaliter, sed multiplicem virtualiter, & secundum conceptus explicitos, non quidem adaequatos, vti est unum attributum respectu alterius; sed inadaequatos, vti est unum & idem attributum respectu sui ipsis, per ordinem ad plures conceptus inadaequatos explicitos. Constituit igitur ratio doni personam Spiritus sancti inadaequatè; sicut ratio imaginis personam Filij. Constituit autem illam non ratione connotati, quod in obliquo importat, sed ratione fundamenti, quod principaliter & in recto dicit: hoc autem est ipsa spiratio passiva, vt apta nata libe-

raliter communicari, quæ solum secundum conceptum explicitum, & inadæquatum distinguatur ab ipsa spiratione passiva.

171. Ad confirmationem nego, donationem, qua Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, & qua donabilis est creaturis, esse relationes oppositas: tum quia sunt respectu diversorum; nam prior est respectu principij spirati; posterior respectu creaturarum: quemadmodum possunt in uno eodemque subiecto esse opposita relationes genitoris respectu unius, & geniti respectu alterius. Tum quis prior est realis & secundum esse; posterior vero rationis & secundum dici.

172. Ad quintam. Distinguenda est major: nam omne donum est alicuius possessoris donum, vel dominio, cui tantum respondet subiectio; vel origine, cui sola respondet origatio. Porro Spiritus sanctus est Patris & Filii donum non dominio, sed origine & autoritate, cui tantum respondet origo passiva in dono ipso originato. Ex his patet ad fundamentum Durandi: nam alio modo donabilis est creaturis Spiritus sanctus, alio modo reliquæ personæ, & essentia ipsa diuina.

*Ad fund.  
Durandi.*

## DISPVTATIO XXVIII.

### De Missione Diuinarum Personarum.



ACTENVS de proprietatibus diuinarum personarum in ordine ad se, quibus inuicem secerunt peculiari nota, quæ existunt & operantur ad intra. Superfunt explicandæ proprietates earundem in ordine ad creaturas, quibus una secernitur ab alia, & manifestatur ut distincta persona ab alijs, per speciem modum existendi & operandi ad extra. Quæ propterea dicuntur proprietates notionales ad extra, quia sunt proprij modi existendi & operandi singularum personarum, quibus ad extra manifestantur & apparent. Sicut enim Deus habet quædam prædicta in tempore, quæ illi competunt in ordine ad creaturas, vt est unus essentialiter, & sunt communia toti Trinitati, dicunturque essentialia, ut esse Creatorem, Conservatorem, & Dominum rerum omnium: ita quædam alia habet in ordine ad easdem creaturas, quæ illi etiam in tempore competit, vt est distinctus personaliter, suntque propria singularum personarum, dicunturque notionalia ad extra, ut esse missum, Incarnatum, manifestatum &c. De quibus potissimum queremus, an missio propriè competit diuinis personis: in quo præcipue consistat quidditatiua ratio missio di-

uinæ: quæ tandem, & quotuplex sit.

#### SECTIO I.

##### An Diuinis personis competit vera & propria missio?

1. EXPRESSVM fidei dogma est, diuinis, *Fidelis do-*  
personis competere missionem, tam a-*gma.*  
etiam respectu personæ mittentis, quam passiuam respectu personæ missæ. Constat ex pluribus Scripturæ testimonijs, quibus vtrique missio diuinis personis tribuitur. Ioan. 7. *Ioan. 7.*  
*A me ipso, inquit Christus, non veni, sed si verus,*  
*qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Et c. 15. Cum autem Ioan. 15.*  
*venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Pare:* aliaque innumera sunt vtriusque testamenti loca, in quibus diuinis personis tam aetia, quam passiuam missio tribuitur: adeo ut nemo hactenus Hæreticorum illam simpliciter negare sit ausus: quamvis ea abutantur ad inæqualitatem Diuinarum personarum arguendam. Sola igitur Theologica controuerseppe est, an vere & propriè competit missio diuinis personis.

2. Ratio